CHRONICON. MARSILIUS DE PADUA. IOHANNES VICTORIENSIS

Anfang 15. Jh. Seite 87v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=892
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

qui eburneis caul[is] inserti er-
ant et columpnis marmoreis
fulciebantur lectuli quoque aurei et
argentei super pauimentum sma-
ragdino et uario strato la-
pide dispositi erant quod mira
uarietate pictura decorab-
at In hystoriis grecorum scribi-
tur quod in hoc orto erat vinea ha-
bens uites argenteas et pal-
mites aureos et botros ex ua-
rietate gemmarum distinctos In
gestis friderici imperatoris habetur
quod Hainricus rex Anglie inter
alia preciosa et varia donar-
ia ei presentauit preciosos papi-
lionem unum quantitate maximum
qualitate optimum cuius si quantita-
tem requiris non nisi machinis
et instrumentorum genere et ammini-
culo leuari poterat Si qualitatem nec
materia nec opere ipsum putem ali-
quando ab aliquo huiusmodi
apparatu superatum iri De secundo habetur
in Numeris · xxiiij · ubi balaam
dirigens contra desertum uultum
suum et eleuans uidit israel in
tentoriis commorantem per tribus
suas irruente in se spiritu dei et
ait quam pulchra tabernacula
tua iacob et tentoria tua is-
rahel ut ualles nemorose et
orti iuxta fluuios irrigui ut
tabernacula que fixit dominus quasi
cedros super aquas In gestis
Vngarorum legitur quod Atti-
la rex inter alia gloriosa taber-
nacula habere consueuit de diuersis
regnis uariis modis operata in-
ter que unum celebre fuit cuius
columpne ex auro et opere ductili
fuerunt que habebant iuncturas et
in medio uarie lapidibus preciosis
in suis iuncturis fabre facte mira-
bile iungebantur ¶ Tercio de — De castris romanorum
necessaria optimitate uidendum Sunt
enim sic dispensanda castra ut
hominum militancium necessitatibus de-
seruiant Unde de singulari Josephus
· libro · iiij · de romanorum · consuetudine
dicit quocumque in hostilem terram
irrumpunt ante castrorum munitionem
numquam prelium sumunt que quidem
non leui opere neque inequali loco eri-
gunt nec inordinate destribuunt
sed si quidem inequale solum fuit ap-
planatur in iiij[or] angulos eorum dimen-
sio designatur nam et fabrorum
multitudo et ferramentorum co-
pia que usus exstructionis de-
poscat sequitur exercitum et interior
quidem castrorum per tabernacula
distribuitur Ambitus autem ex-
trinsecus faciem muri prefert ordi-
natis et turribus pari spacio
dispositis quarum interualla telis
atque balistis aliisque machinis
saxa intorquentibus omnibus instru-
mentis missilium complentur ut cunc-
ta iaculorum genera in promptu sint
Sed omni parte muri quatuor portas
edificant tam iumentis aditu
faciles tam ipsis si quis urge-
at incurrentibus latas Inter